

**Dissertatio solennis medica sistens methodum medendi individualem,  
generali non contrariantem ... / [Georg Konrad Hülsemann].**

**Contributors**

Hülsemann, Georg Konrad.  
Coschwitz, Georg Daniel.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Jo. Christiani Hilligeri, [1728]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a4kqugd3>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSE<sup>11</sup>TATIO SOLENNIS MEDICA  
SISTENS

METHODUM MEDENDI IN-  
DIVIDUALEM, GENERALI NON  
CONTRARIANTEM

QUAM

ADSPIRANTE SUMMO NUMINE  
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

P R A E S I D E

DN. GEORGIO, DANIEL  
COSCHWITZ,

MED. DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BOTAN. IN ALMA FRI-  
ERICIANA PROFESS. PUBL. ORDIN. POTENTISS. BORUSS. REGIS IN  
COMITATU MANSFELDENS. ET APUD PALATINOS HALENS. PHY-  
SICO MERITISSIMO ACAD. CÆSAR. LEOPOLD. NAT.  
CUR. COLLEGA LONGE DIGNISSIMO,

ATRONO, AC PROMOTORE SINGULARI OBSERVANTIÆ CUL-  
TU DEVENERANDO

PRO DOCTORIS GRADU  
SUMMISQUE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN AR-  
TE MEDICA MORE MAJORUM SOLENNI  
OBTINENDIS.

D. August. Anno MDCCXXVIII.

PUBLICO ET PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

GEORGIUS CONRADUS HÜLSEMANN,  
LÜNEBURGENS.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typ.

И в и се и ми се и  
и о са и ро ды и

и зи и се и ви се и  
и зи и се и ви се и

и зи и се и ви се и

VIRO  
REVERENDISSIMO, PERILLVSTRI,  
EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
ERN. JOACHIMO  
DE GROTE  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS  
MAGNÆ BRITANNIAE, DVCIS BRVNSV. ET LVNEB.  
S. R. J. ARCHI - THESAVRARI ET  
ELECTORIS  
IN DUCATU CELLENSI STATUUM  
PROVINCIALIUM DIRECTORI  
ET  
DOMINO DOMUS<sup>ET</sup> ET COENOBII STI.  
MICHAEL. LVNEB.  
DOMINO HAEREDITARIO IN BREESE,  
HORN RELIOVA.  
DOMINO MEO  
GRATIOSISSIMO.

VIR  
REVERENDISSIME, PERILLVSTRIS  
ATQVE EXCELLENTISSIME  
DOMINE GRATIOSISSIME



Vas VESTRÆ EXCELLEN-  
TIÆ jam nuncupo pagellas, ex  
profecto erubescerent contra  
scripturæ naturam, si hanc sibi  
obmotam sentirent quæstio-  
nem : Utrum dignæ sint , quibus Nomen  
Vestrum,

Vestrum , at quam ILLVSTRE NOMEN !  
præfigatur , an meritæ potius nigro audaciæ  
notari lapillo ? Multo adhuc magis obmu-  
tescerem & ego , nisi insignis illa , quæ in se-  
rena VESTRAE PERILLVSTRIS Ex-  
CELLENTIAE facie radiat Clementia , me  
reddidisset humillime consilium , in adversam  
non versum iri partem , si tam Venerabili No-  
mine hæcce disputatio primo statim in limine  
condecorata in lucem prodiret , imo in cer-  
tissimam spem assurgo , hocce conamen me-  
um pro indicio devotissimæ erga VESTRAM  
ExCELENTIAM Venerationis , quam  
mecum omnes mei pro innumeris in nos col-  
latis beneficiis fovent , acceptum , hancque  
disputationem excusatam iri , quod tam MA-  
GNVM NOMEN præferre publice gestierit.  
Servet iterum DEus TE VIR REVERNDIS-  
SIME salvum , & per multos annos incola-  
mem , in salutem Ducatus Luneburgici , in

florem & splendorem ILLVSTRIS GRO-  
TIORVM FAMILIAE, & demum, si ma-  
gnis parva nectere licet, conservet DEus  
T. O. M. TE GRATIOSISSIMVM PA-  
TRONVM mihi,

CELEBERIMI ET ILLVSTRIS  
NOMINIS TUI

OBSERVANTISSIMO, HUMILLIMO

GEORG. CONRAD. HÜLSEMANN.



## PROOEMIUM.



Uando Cicero medico-  
rum, i. e. Aurelius Cornelius  
Celsus Præfat. Lib. I. dicit;  
„Non eadem, omnibus etiam  
„in similibus casibus opitulan-  
„tur: sane ipsius intentio est

indigitare, Medicum non esse  
debere purum putumque Empiricum, qui solis ex-  
perimentis fidens, contentus esse solet, quod cognito  
morbo, certum quoque cognitum habeat reme-  
dium, quo semper sub eadem spe felicis successus si-  
ne ulla distinctione uti possit; ita ut neque tempe-  
ramenti, neque sexus, neque ætatis, vel causarum,  
atque symptomatum diversorum rationem atten-  
dat; sed veri rationalis Medici officium esse, ut co-  
gnito prius morbo, causisque morbum producenti-  
bus perspectis, reliquarum etiam individualium cir-  
cumstantiarum conditionem ponderando, non mo-  
do communia, sed propria quoque respiciat, & Me-  
dica-

dicamenta pariter, ac illorum debitum utendi modum, selectum, directionem, dosin; cum individuali applicatione ad ægrotantis naturam, ætatem, vires, diversas morbi causas, aliaque scitu' necessaria dirigere sciatur, atque hoc modo fine suo proposito feliciter pro viribus potiatur. Hæc cum ita se habeant, rationales Medici a multo jam tempore eo incubuerunt, ut remediorum salubrium salutarem applicationem certis includerent regulis atque præceptis, quibus methodum monstrarent medentibus, secundum quam in singulis morbis pro diversitate causarum magis aut minus urgentium generaliter indicationes curatorias æque ac præservatorias formarent, quibuscum remediorum selectus ac debitus usus conspirare debet, ut ita Medicus in curationibus morborum secundum rationem demonstrative quasi agat, suarumque actionum fundatam rationem reddere valeat. Quæ tamen cum aliquando exceptiones patiantur aut requirant in casibus particularibus & individualibus, nec semper generali illo ordine sine exceptione exequi possint, quin potius aliquam additionem, aut subtractionem, vel moderationem poscant, generaliori illi medendi methodo, altera quasi specialior subordinata fuit, specialiores imo specialissimas complectens regulas atque cautelas practicas clinicas, circa singulum morbum, in singulis individuis observandas. Unde apud Practicos loquendi formula ortum cepit, haud eosdem morbos semper eadem curari posse methodo, sed methodum specialem ac individualem longe aliam esse quam generalem,

Iem & Medici summum artificium in eo consistere,  
ut ex individualium circumstantiarum collectione  
sciat methodum speciale applicare: id quod ali-  
quando, a junioribus ad minimum practicis, eo ex-  
plicatur, quasi generalis medendi methodus in to-  
tum aboleatur, nec ullo modo indicationes curato-  
riæ generaliter suppeditatæ locum haberent: sed  
omnia alio atque inverso plane ordine peragenda  
essent.

Cum autem sano quidem sensu individualis Me-  
thodus a generali in tantum differat, verumtamen  
generalem semper pro fundamento agnoscere de-  
beat, cui tanquam regulæ insistat, & cujus quasi  
exceptionem aliquam constituat, aut strictiorem ali-  
quando applicationem formet, nullus dubitavi præ-  
sentis Dissertationis inauguralis haud indignum ar-  
gumentum fore, si pro viribus tentarem, tam Diffe-  
rentiam, quam Convenientiam utriusque Methodi  
commonstrare, unamque exaltera si explicarem.  
Quod ut secundum veritatis tramitem in emolumen-  
tum artis salutaris succedat, a vero veritatis fonte,  
summo Numine, vires animi necessarias humili-  
me expeto.


## I.

**D**um in præsente tractatione Methodum meden-  
di individualem, generali non contrarian-  
tem sistere intendo, incumbere mihi prævi-  
deo, ut omnium primo fundamentum totius  
tractationis per explicationem vocum præ-  
mittam, atque indigitem, quid per methodum medendi

simpliciter consideratam, quidve per eandem generalem, & individualem intelligam, aut intellectum velim: Methodus itaque, sicuti in genere viam compendiariam, certumque ordinem, præcipue in docendo, significat, ita per Methodum medendi simplicissimo sensu non nisi via certusque ordo indigitatur, quibus Medicus sub artis suæ exercitio, in morbis vel præoccupandis, velfanandis atque medendis, pro sanitate vel conservanda, vel restituenda, utitur.

## II.

Dividitur hæc medendi methodus communiter in tres quasi species, aut triplici modo atque respectu ad artem sanandi applicatur: Prior generalissima dici potest; quæ viam monstrat, qua Medicus sanationem morborum meditans, seu Praxin aggressurus, tam de effectu & operazione remediorum ex triplici fonte depromendorum, quam de illorum rationali & methodica applicatione secundum causas generaliter consideratas, & hinc formandas indicationes generales, certior redditur atque instruitur, ita tamen ut nullam adhuc certorum aut singulorum habeat morborum rationem, multo minus ad individua, quæ huic illive subjiciuntur morbo, respiciat; sed simpliciter de actione aut reactione remediorum in corpus, ejusque partes tam fluidas quam solidas, hujusque in illa, sollicitus sit. Ut v. g. sciat, humorum spissitudinem simplicem, sui dilutionem & attenuationem per potulenta appropriata, aut medicamenta humectantia sufficienter exhibita, motusque proportionatos, requirere: in lentescentia mueida humorum majore modo dicta, licet proficia sint, non sufficere, sed resolutionem majorem, per digestiva, salina, acriuscula, resinosa exigi: quantitatem humorum



morum excedentem, imminutionem per varii generis eva-  
cuaciones & subtractiones, secundum materiam substra-  
am eligendas, poscere: deficientem vero eorundem  
quantitatem sui restitutionem per alimentosa, aliave re-  
media, requiri: diversa siis humorum variis, sive sali-  
nis, sive acidis, sive sulphureis, diversas acrimonias pro-  
ducentibus, per corridentia, alterantia, absorbentia, edul-  
corantia, contemperantia, occurrentia esse: in partibus  
solidis si ex fibrarum motricium extraordinaria laxitate,  
mollitie, debilitate, motus necessarii deficiant, earundem  
roborationem tonicam, per exsiccantia, nervina, robo-  
rantia, tonica, imo pro re nata, adstringentia, postulari:  
aut, si ex rigidiore spastica fibrarum motricium tractione  
nimii & inordinati motus oborti fuerint, vigores illos  
spasmosque fibrarum esse demulcendos, relaxandos, per  
lenientia, humectantia, antispastica. Quæ omnia & ad-  
huc plura occurunt & pertractantur in Therapia; quæ  
hanc ob rationem methodus quoque medendi generalis  
apud medicos audit, sed vana atque inutilis maneret in ef-  
fectu, si hoc modo in fola speculatione theoretica, quid a-  
gendum sit, subsisteret, neque proxime per suppeditatio-  
nem Materiæ medicaæ, & remediorum debitorum, quibus  
Medicus secundum indicationes formatas, intentionem  
suam in actum deducere valet, suffulciretur, & efficax red-  
deretur.

### III.

Altera quæ in præsente tractatione generalis mihi au-  
dit, in comparatione ad priorem magis specialis est me-  
thodus, dum non solum modo circa causas in abstracto  
consideratas, quidque circa illas theoretice quasi agen-  
dum sit, hæret, sed applicationem realem monstrat ad mor-

bos singulos in concreto; quomodo nempe sub variarum atque diversarum causarum concursu, singulæ causæ secundum respectum proprium sit occurrentum, & quo ordine, qua serie id præstandum sit, quamnam in singulo morbo causam primo, quam vero postremo loco aggredi debeat, secundum indicationes, quæ vel a causarum quantitate, vel qualitate, vel ordine agendi atque effectu, formantur: an primo sit suscipienda materia peccantis in præsente morbo correctio & præparatio, an vero imme- diate adornanda ejus evacuatio, an primo ad causas, an vero ad causarum effectus sit respiciendum. Hoc dicitur a Fernelio Methodus inedendi, quando Lib. I. Meth. med. Cap. 4. inquit. *Causa omnis prius quam affectus methodo recta excindi & summoveri aebet. Quocirca causa pri- mum, genitus dein affectus est submovendus: ita enim ra- dicus extirpabitur, nihil ut deinceps ejus repullulet. Er- go quum longior quedam continuatio seriesque causarum existit, in qua alia ex alia nasci, & existere, & omnes in- ter se aptæ connexæque videbuntur, suo queque ordine de- menda erit.* Hæc non jam simplex, sed methodica curatio est, quæ non solis remediis, sed via utendique ratione com- pleatur. Hac una maxime herbariis, atque Pharmacopœiis quibus etiam cognita est remediorum materia, Medicus est præstantior. Et hoc est quod Praxin generalem singulo- rum morborum nominare solent Medici, & Medendi me- thodus, quæ mihi in præsenti generalis audit.

## IV.

Huic contradistinguitur tertia, quam individualem nominare placet, vel cum aliis in comparatione cum proxime antecedente, specialissimam: & hæc quidem ea est, quæ ad individuales circumstantias singulorum mor- borum

borum in singulis personis dirigitur; ita ut non apud  
 omnes ægrotos eodem licet morbo laborantes, plane &  
 præcise idem agere liceat, sed aliquando mutatio quædam  
 sit suscipienda, quæ a regula generaliore ex parte reclina-  
 re videtur, & uno verbo dicendo, ut cum Rolfincio, ea  
 quæ universaliter in arte medica traduntur, applicentur  
 ad singula. Id quod difficillimum semper habitum fuit  
 in arte: unde Ill. Stahlius dicit: *Hæc certe methodus, lon-*  
*ge dispar est ab illa generalissima methodo therapeutica, qua*  
*solummodo e fontibus auxiliorum delibantur remediorum*  
*genera, quæ uni vel alteri affectui convenire queant.* Et  
 Galenus Lib. V. de tuenda sanitate, cap. 8. inquit. *Non*  
*omnes adeo sunt solertes, ut ex solo universali præcepto in-*  
*veniant, sed qui ad ea quasi manu ducat, opus habent.* Cu-  
 jus difficultatis fundamentum & ratio duplex quidem al-  
 legatur ab Experientissimo Rolfinckio; partim in affe-  
 ctuum morbosorum varietate, partim in eorundem com-  
 plicatione consistens. Cum vero Morborum varietas ac  
 multitudo magis ad generalem methodum spectet, atque  
 sub illa singulorum tractatio methodica secundum diver-  
 sitatem causarum comprehendatur; rectius morborum  
 complicationi ad latus poni debere existimo, individuo-  
 rum differentiam, secundum temperamentum, ætatem, se-  
 xum, consuetudinem, virium robur aut imbecillitatem,  
 statum plethoricum, aut idiosyncrasiam specialem, nec  
 non hæreditariam dispositionem; & morbos prægressos.  
 Morborum enim quod concernit complicationem, nemini  
 ignotum est, multoties tales in uno individuo vel simul  
 oriri, vel sibi invicem supervenire atque concurrere mor-  
 bos, qui inter se contrariantur, atque contrarias quando-  
 que indicationes, cum contrariantibus remediorum gene-

ribus, postulant, aut ad minimum non idem remedii genus, aut eandem indicationem permittunt atque concedunt: quemadmodum in febre tertiana si cum phthisi, vel Hernia, vel in hæmoptyico occurrat; respectu febris Vomitus locum habere potest, qui tamen respectu reliquorum morborum non conceditur, sed contraindicatur.

## V.

Si autem individualis subjectorum conditio consideretur, nemo necit qui in praxi clinica versatus est, diversa temperamenta haud raro diversa quoque remediorum genera postulare; cum temperamenta calidiora & activiora, temperata leniora imo sedantia; frigidiora vero & ad phlegmaticum tendentia, activiora calidiora remedia in genere requirant & tolerent. Sic quoque ætatis ratio est habenda, tam in selectu remediorum generali, quam dosium distributione & directione speciali: cum notissimum sit, quod ætas tam infantilis ac puerilis, quam senilis haud easdem evacuationum species sine discrimine permittat, quæ in ætate juvenili aut vividiore virili concessæ sunt; & quod ratione omnium remediorum, præcipue Evacuantium, eorumque doseos determinandæ, maxime habenda sit ratio ætatis, quippe quæ apud infantes pueros ac senes, ordinarie levior & lenior esse debet quam apud adultos, juvenes, virosque vegetiores. De sexu notorium est, quod unus præ altero diversis morborum generibus subjiciatur, quæ alteri haud familiaria existunt; & quod sexui sequiori propter afflictiones hystericas, varia remedia, præcipue dulcia, & odorifera, sappissime plane non sint exhibenda, quæ tamen nobiliori sexui congrue propinantur. Consuetudinem quod con-

cer-

cernit, Medicos sane non latet, quanta sit ejus efficacia, & quanti sit habenda: ut enim non dicam de consuetudine ægrotandi, secundum quam haud raro Morbus aliquis gravis in imbecillo corpore toleratur ac superatur, qui in subjecto robustiore, sed ægritudinibus minus adsueto, periculosissimus existit: consideranda modo erit consuetudo circa cibos & potus a juventute aut multo tempore usurpatos, qui his salubres existunt, minus adsueticis vero molestias creant; ita ut saepe Medici, quo consuetudini tali etiam in morbis indulgeant, necesse habeant: Id quod etiam aliquando ad remediorum diversorum assumptionem sese extendit; siquidem Opiatorum usui aliqui adeo adsuefieri solent, ut majores illorum doses, quas alii sine damno ferre nequeunt, sine omni alteratione actionum devorare possint.

## VI.

Nec virium robur aut imbecillitas neglegi debet, quin in medendi methodo particulari circumspectionem multam injungat Medico. Si enim evacuationes varii generis sunt adornandæ, hæ præcipue abhinc directionem & moderationem patiuntur; dum corpora robusta, juniores, quorum vires non sunt fractæ, facilius illas tolerant, atque largiores, cum ex opposito debilitatio virium illas vel plane prohibeat, vel adminimum moderatores suadeat: quæ virium consideratio non minus necessaria est circa Opiatorum & anodynorum exhibitionem, quippe quæ sub magna virium prostratione non conceduntur, licet de reliquo ab uno altero symptomatum indicentur. Plethora præsentia aut absentia haud minorem sui requirit considerationem; cum præcipue in peculiaribus morbis ad illam respiciendum sit in decidenda necessitate aut utili-

utilitate Venæsectionis , vel Hæmorrhagiarum spontanearum : dum in simili morbo tales evacuationes sanguineæ in uno individuo necessariæ & proficuæ esse possunt, quæ tamen in altero subjecto cum damno aut periculo ægri administrantur ausæ adsunt. Idiosyncrafia naturæ haud minus exploranda est apud ægrotantes, præcipue in sexu sequiore, ubi haud raro contingit , ut unum remedium v. g. citratum, rosatum, moschatum, crocatum, camphoratum, castorinum , ab uno individuo promptissime assumatur , a quo alterum vomitus, nauseas, lipothyrias experitur, ideoque illius usum merito aversatur: quale quid præcipue apud fœminas hystericas circa odo-riteria & suaveolentia contingere solet. Sic quoque hæreditaria dispositio non raro indicationibus ordinariis contrariatur ; quando morbi per hæreditatem contracti cum aliis forsan complicantur , aut ad minimum concurrunt, vel hæreditaria dispositio morbum aliquem minatur facile excitandum, propter quem unum alterum veremedii genus præsenti morbo de cetero accommodatum, omitti debet. Morbi tandem prægressi non secus Medi ci curantis intentionem sæpiissime varie mutant, dum modo respiciendum est ad vires sub morbo prægresso prostratas nec iterum sufficienter recuperatas; vel ad morbi præsentis novi ortum , qui ex prægresso vel male vel non radicitus curato propullulavit, vel etiam in eundem iterum degenerare & transmutari potest: ratione quarum circumstantiarum, vel prognosis diversa de facili aut difficiliori curatione erit formanda, vel tractatio secundum causas magis specifice & alio , quam sub methodo generaliore, ordine, administranda, vel debita circumspetio & attentio adhibendo, ut prior morbus, si præcipue

præ-

præsente periculosior fuerit, præoccupetur atque præcaveatur; id quod generaliori respectu citra concursum talium circumstantiarum individualium haud necesse esset.

## VII.

Ut Rubro præsentis Dissertationis satisfiat, necessitas & ordo nunc postulabit, ut perquiram, an haec tenus scripta & generaliter saltim adumbrata methodus individualis, generali sit contraria, ita ut illam plane non considerandam æstimare debeat aut possit Medicus, sed ex opposito, & inverso plane ordine, a generali penitus alieno, incedere necesse habeat. Antequam autem ad quæstionis decisionem me accingam, necessarium duco indigitare, differentiam, & contrarietatem methodi, non unum idemque esse. Contraria enim methodus involvit alterius cui contrariatur exclusionem omninodam, ejusque rejectionem, ut neque in totum neque in tantum fundamenti loco retineri possit, sed loco illius plane alia illi e diametro opposita substituatur: cum methodi diversitas ac differentia fundamentum essentialie & generale retinere, sed certis saltim respectibus ex parte ab invicem declinare possit. Quibus suppositis sustineo, Methodum medendi individualem a generali quidem secundum varias circumstantias differre atque distinctam esse, nullatenus tamen fundamentaliter ac essentialiter illi contrariam esse, multo minus esse debere, si rationalis methodi titulum gerere cupiat, sed generalis methodi fundamenta legitime ac rite adornata, fundamenta quoque manere essentialia methodi individualis, quæ saltem limitationem aliquam certamque directionem secundum specialia patiuntur.

## VIII.

Quod ut tanto clarius evadat, monstranda nunc erit tam convenientia, quam discrepantia utriusque methodi, in quo consistat: convenire itaque debet Methodus medendi individualis cum generali, si rationalis dici mereatur, essentialiter, sicut ab illa differre potest accidentaliter, id quod ita interpretor: quod nempe sub individuali methodo medendi, & que ac sub generali causæ legitimæ tam proximiores, quam remotiores, nec minus occasio- nales rite sint inquirendæ, ponderandæ & penitandæ; quo facto secundum causarum ductum & ordinem indica- tiones essentiales sunt formandæ, secundum quas per causarum remotionem aut correctionem effectus illarum aut lœsio morbida removeri debet; neque hoc respectu aliter in uno, quam in altero subjecto agendum sit. Ponamus itaque casum in terminis generalioribus; quod in Morbo aliquo præsente, præsens sit materia aliqua, tam quantitate, quam etiam qualitate sua peccans, quæ pro- xime sua præsentia affectum morbosum produxit; qui si rationali methodo curari atque tractari debet; necessario requirit materiæ peccantis tam correctionem & altera- tionem, quam illius evacuationem aut imminutionem, quo facto ea quæ ipsam lœsionem inductam, aut sympto- mata recipiunt, erunt observanda. Hæ indicationes sa- ne, & hæc methodus a rei natura desumpta, & essentia- liter ad curam speclans, in simili atque eodem morbo semper attendi & applicari debet, in quo cunque individuo aut subjecto idem morbus occurrat, sine ulla considera- tione ætatis, temperamenti, sexus vel alias cujuscunque conditionis: licet de reliquo circa ordinem specialiter observandum, pluresque alias circumstantias diversæ

varia-

vàriationes, sub applicatione individuali concurrere possint.

## IX.

Positis enim superioribus circumstantiis essentialibus, in diversis atque distinctis individuis, ab eodem morbo correptis, in uno illorum magis urgere poterit materiae ejusdem peccantis abundantia, & effectus noxius proxime ab illa dependens: cum in altero majorem magisque urgentem considerationem procul dubio mereatur ejusdem materiae peccantis qualitas, sub quibus circumstantiis neque una, neque altera superius indigitatarum indicationum tollitur; verum tamen quæstio movetur, cui in singulo individuo magis insistere debeat aut possit Medicus, & quænam in ordine agendi sit præferenda? an in utroque subjecto vel correctio, vel evacuatio & imminutio materiae peccantis primo sit suscipienda? an vero alterutra sine alterius concurso forsan administrari possit? ubi utique hæc differentia occurrit, ut in priori casu, præcipue si aliquod periculum ex mora imminutionis & subtractionis emergere posset, evacuatio & subtractio materiae peccantis præferatur, atque ab hac curationis initium fiat; & quamquam non omnis simul & semel subtrahi & evacuari queat materia, potissima tamen ipsius portione remota, impetus affectus morboſi infringatur, reliqua autem portio tanto commodiori correctioni & alterationi, cum subsequente eliminatione subjecta maneat: sicut in casu posteriore convenientius erit, si secundum regulas generaliores materiae peccantis correctio, alteratio, aut ad mobilitatem promptiorem dispositio præmittatur, quam denique tanto commodiore effectu evacuatio atque subtractio excipere potest: siqui-

dem non minus casus individuales occurunt, ubi materia peccans, quæ ordinarie quasi alterationem præviam ante sui excretionem requireret, aliquando hac neglecta penitusque omissa, simpliciter & commodissime excerni atque foras eliminari potest ac debet.

## X.

Exempla sicut ordinarie rem magis illustrant ita in præsente quoque negotio non sine fructu erit, si illis pro uberiore sententiæ meæ declaracione utar variaque illorum adducam, quæ facile ad singulos morbos applicari, meumque assertum confirmare poterunt. Cum itaque febres adeo consuetæ atque solemnes sint ex morbis quotidie occursantibus, ut fere pro solennissimis, quibus cum plurimum Medicis res est, declarari possint, non abs re esse putaverim, si abhinc initium fecerim, & ex intermittentibus saltem Tertianam legitimam in medium proferam. Hujus causa proxima materialis ordinarie est saburra ex parte biliosa, ex parte cruda ab alimentis ingestis, vel cum nausea oblatis, vel concoctu difficilibus & in mucorem degeneratis, propter quam materiam peccantem motus illi oriuntur febries. Si jam secundum methodum generalem rationalem curatio aut sanatio ægri ab hac febre fuerit instituenda, necessitas sane naturalis sequentes inculcabit indicationes: Ut np. 1) Materia peccans sive saburra in Ventriculo & Duodeno præcipue hærens præparetur sive mobilis reddatur: 2) eadem mobilis facta tempestive educatur & removeatur: 3) ut remota atque evacuata penitus illa causa crassiore, reliquæ quasi ipsius forsitan humoribus jamjam communicatæ, per adæquatæ secretionum & excretionum conservationes excernantur; sub quo negotio simul cura haberi

beri poterit symptomatum tam leniendorum quam præoccupandorum : quibus peractis : 4) demum subjungenda erit motuum febrilium cohibitio atque remotio per ita dicta specifica ; quæ quantum hactenus innotuerunt, ordinarie ex classe adstringentium , vel adminimum subadstringentium & tonicorum esse solent. Hæc methodus secundum causarum conditionem instruenda, requirit secundum primam indicationem remedia digestiva, salina, absorbentia & ex parte amaricantia, nec non diluentia : quæ in ordine vi secundæ indicationis excipere debent Evacuantia, vel vomitu per superiora, vel laxatione per inferiora, materiam crudiorem eliminantia ; quæ optimo ordine die aut tempore intercalari sunt propinanda : quibus deinde pro tertia indicationum obstinenda sub Paroxysmorum recursu diapnoica fixa sub æstu, & post illum leniora alexipharmacæ succedant : donec quarto senescentibus & mitescentibus successive paroxysmis, opportunum accedat tempus specifica subordinandi, & motus febriles in totum sustendi.

## XI.

De hac methodo quæ generalis est , & secundum causas adornata , sane persuafus sum , ut in essentialibus, nunquam in ullo individuo sine damno ægrotantis mutari aut aliter institui possit : licet secundum individuales quasdam circumstantias , mox declarandas, aliquando variationem admittat. Sic enim circa primam indicationem in uno individuo forsitan sola materiæ peccantis emollitio per diluentia sufficere poterit , quæ in alio remedia pharmaceutica requiret ; e quibus iterum unum individuum salina & absorbentia, alterum vero amaricantia & acriora postulabit ; siquidem non minus facile aliquando ca-


sus occurrit; ut diuturna præparatio plane non sit necessaria, sed post cognitam causam immediate evacuatio locum habeat, si np. materia movenda per se mobilis existat, primæque hujus indicationis absolutam necessitatem excludat. Altera quæ materia peccantis crudioris, mobilis tamen, eliminationem poscit, adeo in se necessaria est, ut negligi haud debeat: interim tamen cum illa evacuatio vel per superiora, vel per inferiora, vel simultaneæ, vel successive, vel lenioribus, vel fortioribus remediis celebrari & suscipi queat, individuum præsens utique Medico rationali ansam suppeditabit meditandi, an Vomitorii usus permittatur aut contraindicetur, & loco illius catotericum evacuans sit eligendum? an ætas, vires, sexus, morbus forsitan prægressus, leniorum aut fortiorum remediorum suadat usum? an unica vice, an repetita evacuatio talis suscipi possit aut debeat? Quoad tertiam certum quidem in genere manebit, quod partim per diuresin, partim vero, & quidem utilissime, reliquarum morbificarum in humoribus hærentium excretionis obtineatur, eaque remittente paroxysmo vigere debeat; cum præterea specialiter dijudicandum maneat, an temperamenti, victus, aut animi pathematum ratio, diaphoretica fixa, an vero calidiora & positiva concedat; nec minus quo gradu ipsa excretionis diaphoretica continuari possit. Quartam quod attinet indicationem, motuum nempe febrilium cohibitionem, in singulis individualibus omnium primo generice ponderanda erit ipsius necessitas, cum, si sub reliquis indicationibus rite observatis motus illi sponte cessent, in universum ipsius necessitas exspiret: præterea autem, licet quamplurimum necessaria esset, individualiter tamen remediorum quoad gradum

dum effectus differentium selectus, simultaneus, aut repetitus & successivus usus, erit dijudicandus, ne his neglectis graviter impingat, errore inque aliquando haud facile emendabilem committat.

## XII.

In aliis febribus continuis acutis, ubi materia peccans in humoribus hærens, vel per diaphoresin solam, vel per exanthemata speciatim excernitur, generalis methodus requirit materiae peccantis tempestivam præparationem aut concentrationem, ut subsequente motu secretorio & excretorio tanto promptius atque securius per vias periphericas sub forma halitiosa, aut exanthematica educi queat: sub quo scopo sollicite Medicus in genere omnes alias excretioni periphericæ contrariantes evacuationes evitare studet, ne anomaliæ motuum variæ inde sequantur, & universa methodus turbetur. Unde ab alvi exstimationibus, præposterioris Venæ sectionibus præcipue in exanthematicis sibi cavet, optime conscient, quod exanthematum exclusio, aut illius debita continuatio, ordinarie per illas evacuationes sufflaminetur aut turbetur. Interea hoc non impedit, quin rationalis Medicus aliquando secum perpendat, anno status plethoricus individualiter præsens ipsam excretionem periphericam & exanthematicam in uno altero eveniente individuo difficultorem tardioremque reddat; quo impellitur eo, ut ceteris paribus & conspirante ætatis, virium, temporis morbi conditione, Venæ sectionem moderatam & tempestivam admittat, quo ipso tamen methodum de reliquo consuetam generalem, excretionem periphericam pro scopo habentem, nullatenus deserit, sed potius hoc ipso consilio specialiter facilitare studet, id quod in plurimis aliis,

iisdem



possint, utique secundum individuales circumstantias dijudicandum manet; an, & in quantum, in uno individuo remedia diætetica, potulenta diluentia cum subordinatis motibus sufficere possint? an vero in altero subjecto pharmaceuticis remedii opus sit suscipiendum? & si hoc; an salina digestiva, an calidiora resinosa, pro differentia temperamenti aut symptomatum conjunctorum, sint præferenda? an spes subsit sufficiens, per modo dicta auxiliorum genera aliquid efficiendi? an vero res exigat ad fontium salubrium usum deveniendi? in quo ultimo casu iterum res judicii erit, an Acidulæ, an Thermæ pro diversitate individuorum secundum temperamenta sint eligendæ? & an fontes medicati solum totum negotium exhauriant, an vero remediorum pharmaceuticorum usus sit conjungendus, præfertim quantum roborationem tonicam viscerum concernit: nec minus, quo ordine, qua mensura, & quamdiu usus thermarum aut acidularum, vel seorsim, vel conjunctim fit adorandum. Hæc omnia licet in se diversa existant, & pro diversitate individuorum diversimode administrari debeant, nihilominus essentialiter inter se conveniunt, dum respectum verum causarum pro fundamento agnoscunt, nec ullam quoad indicationes generales mutationem aut inversionem concedunt; sed solummodo executionem indicationum individualiter facilitant.


### XV.

Possent hæc, si tempus permitteret, ulterius deduci, & innumeris exemplis practicis illustrari ac corroborari; cum autem allata sufficienter scopo proposito inserviant, atque superius assertum, quod individualis methodus secundum aliquas circumstantias equidem differre possit, verum nequam generali methodo essentialiter contradicat, aut contradicere debeat, abundantissime confirmant, ultimum quod

quod huic tractationi reservatum est, potius in eo occupatum erit, ut utilitas practica ex hac consideratione eliciatur ac demonstretur. Quarum primam esse censeo, ut Medicus junior præcipue verum acquirat conceptum de Methodo medendi individuali, quod nempe, si rationalis audire debeat, non nisi secundum causas, earumque rationalem atque methodicam tractationem & remotionem sit instituenda; nullo modo autem illi, quæ hanc causarum legitimam tractationem docet, debeat contraria esse, ejusque ordinem essentialiem invertere; sed specialem ac individualem methodum nil aliud esse, nisi generalis methodi ad casus speciales applicationem veram atque legitimam, quæ indicationes generales semper pro norma habet cardinali: id quod Galenus Lib. IX. De Methodo medendi Cap. VI. luculentiter confirmat, dicens: Pro comperto habemus, non licere ullius artis scientiam nancisci, nisi ē methodum quendam habueris per universalia vocata theoremeta, ē in particularibus te exemplis exercueris: quum neque fieri possit, ut sine multiplici in ægris singulatim exercitatione, quod ex usu sit, facias, nec sine universalium cognitione probe exercitatio procedat, quippe quum in universalibus methodus, in particularibus exercitatio consistat.

## XVI.

Altera quam præsens tractatio medico affert utilitas, esse poterit Methodi rationalis cognitio atque distinctio ab irrationali & falsa: quæcunque enim methodus medendi in individuis ita declinat, ut ordinem causarum negligat aut postponat, earumque ductum non sequatur, sed citra causarum removendarum habitum respectum curam morborum aggreditur, illa palliativa, non fundamentalis est, nec ullo modo methodus dici meretur, quin potius tumultuariae tractationis nomen retineat, simulque aperte satis



monstret, eum qui tali via incedit, nedum scire aut intelligere quid methodus vera sit nominanda, nec ullam artis suæ certitudinem possidere. Cum ex opposito Medicus, qui methodum individualem in legitima & vera generali, secundum indicationes rationales adornata, essentialiter fundatam habet, & generales regulas probe ad speciales casus applicare novit, & slectere didicit, tertiam illam utilitatem ipsemet deprehendet, quod ars medica quam profitetur atque exercet, certitudine non careat; ita ut vel certos artis effectus promittere atque præstare valeat, vel ubi artis potestas in morbis incurabilibus quidem deficit, ad minimum ex certis fundamentis certos eventus prædicere possit.

### XVII.

Ultimo demum loco Objectio illa, quæ aliquando a Medicis ipsis, quasi in opprobrium studii medici academici formatur, hac instituta tractatione retunditur atque restringitur: quod nempe longe alia res sit Morborum curatio in cethedra, & ægrorum tractatio apud lectos: hic enim rem sæpe longe aliter procedere, quam doctrina in academiis hausta id ferat. Quamvis enim secundum mentem Excell. Dn. Præsidis haud inficiandum sit, hoc axioma, quoties ad dogmata practica speculativa falsis fundamentis superstructa applicatur, sua veritate proh dolor gaudere, atque multoties nullum penitus nexus inter regulas therapeuticas generales, & applicationem, inveniendum esse, si praxiu vulgarem & tumultuarium adspiciamus; nihilominus tamen cum eodem confido, quod longe aliter sentendum sit de vera & fundamentali methodo, quæ secundum saniora principia & causas veras, non vero fictas instituitur, ubi methodus medendi non ex opinionibus & hypothesibus speculativis, sed ex vera historia facti circa morbos, deponitur; id quod omnes, qui vera tali methodo in sua

praxi

praxi utuntur, uno ore testantur, eoque ipso scientiae suae certitudinem declarant atque obfirmant, nec non ex fundata atque legitima observatione repetita alios veram viam, veramque methodum docere possunt; qua instructi in simili morbo semper in essentialibus eodem modo incedere possunt, quamvis in accidentalibus diversas admittant variationes. Unde necessitas sane postulat, ut Medicus praxin aggressurus clinicam, has differentias noscat, in quo positae sint, & circa quod non versentur; ne falso metu percellatur, & jaetis veris artis fundamentis, sine necessitate ipsam praxin individualem pertimescat. Ubi tamen utique optandum esset, ut frequentior quoque occasio adesset, quo Discentes a Docentibus manu quasi ad exercitium speciale duci possent; & sub tali exercitio verorum dogmatum rerum cum experientia nexus viderent, eoque ipso verum a falso discernere disserent. Id quod scite atque apposite sane Galenus indicat Method. med. L. IX. c. 4. dicens: *quandoquidem in exemplis exercitari quidvis discentes maxime expedit: neque enim semper satisfaciunt ad exactam cognitionem universales methodi.* Sunt autem exemplorum ea pro potioribus habenda, quæ ipsi oculis usurpavimus: quando si omnes qui docere scribere ve aliquid sunt agressi, eaprius operibus ostendissent; prorsus paucula quædam falso dicerentur: nunc autem plerique alios docere tentant, quæ nec ipsi unquam fecerunt, nec aliis ostenderunt. Et cap. 6. Tanquam igitur, qui iter aliquod ingredi student, utroque invicem utuntur crure: qui altero claudus est, uno duntaxat utitur, *longe spatio,* *sæpe errans, viam peragit: ita sane, qui finem cuiuslibet artis consequi parat, duobus his veluti cruribus, vel instrumentis, vel quomodounque appellasse libet, uti debebit; in universalibus theorematis methodo; in particularibus exercitatione.*

His paucis B.L. contentus sis, rogo: mihi autem meoque labore qualicunque fave!

PRÆNOBILI ATOVE DOCTISSIMO  
DNO CANDIDATO

S. D. P.

FRIDERICVS HOFFMANNVS.

**F**X vero utiq; sentire mihi videntur ii, qui præcipuum Medici officium in iudicando consistere censem. Quicquid enim in theoreticis addiscendum, in pathologicis cognoscendum, in semioticis prædicendum in practicis faciendum, id omne ut cum iudicio fiat necesse est. Potissimum tamen totius therapiæ medicæ cardo in eo vertitur, ut servato ubivis exacto discrimine, medicatio instituatur. Multiplices quippe morborum sunt causa. Variæ, medicamenta varia, corpora varia. Hinc, occurrente, quisquis sit, morbo, perfecta ipsius historia conquirenda, symptomata quævis curate expendenda, atque ex iisdem, quæ subdit causa, perite conjiciendum. Vires dein remediiorum cognoscendæ cum modo quo agunt, & comparatione cum morbi causa instituta, quæ subigendæ huic ex omni apparatu quadrant & sufficient, concludendum. Maxime omnium vero, ipsius ægrotantis corporis ratio habenda & dispiciendum, quæ virium & partium in eo per etatem, sexum, victimum, clima, animi inclinationes, nativitatem aliaque plura constitutio, ac singulis his medicatio prudenter accommodanda. Qui sic morborum curationem aggreditur, cum iudicio, maximum illud in praxi arcanum, redam medendi methodum, obtinet cum certa ratione, quo ordine, quo tempore, quæ dosi & proportione, quo cum regimine sanitatis presidia offerenda & quandiu iisdem ad obtainendum salutarem effectum insisteendum sciet. Qui secus procedit, Empiricum agit, non medicum rationalem, animo fluctuat, hallucinatur & in haud leve sanitatis ipsiusque vite discrimen ægros adducit. Tu certe, candidate doctissime, hæc omnia apprime perspecta re-

nes, enimque ob causam, quamdiu apud nos commoratus es,  
id quam maxime egisti, ut non generalia tantum artis salu-  
taris precepta haurires, verum a probatissimis  $\mathcal{S}$  usu exerci-  
tatis doctoribus, quaratione omnia cum judicio ad usum trans-  
ferenda sint, disceres  $\mathcal{S}$  sic medicinam Tibi comparares ra-  
tionalem. Locuples testis est ipsa haec Tua dissertatio, qua  
nobile argumentum, de medendi methodo ad individua peri-  
te accommodanda, Tibi excutiendum sumisti, ac in enodando  
hoc industriam, erudititionem  $\mathcal{S}$  peritiam monstrasti haud vul-  
garem. Perge igitur, qua cœpisti viae insistere  $\mathcal{S}$  duce ubivis  
subacto judicio, felici cum successu ipsam etiam artem exerce.  
Ego certe  $\mathcal{S}$  patriæ,  $\mathcal{S}$  Tibi, fausta multa ominor, ac vo-  
veo, ut summum Numen gratia sua Tibi clementer ades-  
se Teque saluum semper  $\mathcal{S}$  in columem servare velit. Deprop.  
Halæ VI. Kal. Septbr. 1710ccxxix.

PRÆNOBILISSIMO ATQUE PRÆSTANTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. D. P.

PRAESES

Anni ferme quatuor nunc præterlapsi sunt,  
cum prima vice ad nostram Fridericianam  
perveneris, atque ab eodem statim tempo-  
re, Praeclarissime Dn. Candidate! Te studio  
artis apollineæ, sub mea præcipue manuductione, manci-  
paveris. Non possum, quin publice rester, Te tempus quo  
Musis nostris interfuisti, haud inutiliter trivisse, cum po-  
tius sedulus Lectionum tam pulicarum quam privatarum se-  
ctor semper fueris. Hinc universum quem vocamus cursum,  
secundum omnes ipsius palmarias partes, non modo summa-  
affidui-

assiduitate audivisti, verum etiam ea quæ in Fridericianæ ore Docentium hauseras in exercitium practicum convertere studiasti. Quam ob rationem superiori anno Fridericianam reliquisti, non ea intentione, quasi discendorum tædio affectus, sufficienter sapere reputares; sed, ut ea quæ in theorematibus methodice didiceras, ad lectos ægrotantium exercere disceres; atque sub illa exercitatione, quæ ex ore Docentium memoria ceperas, an vera, an falso fuerint, experimentum faceres; optime perpendens; generalia theorematata haud sufficere, nisi specialioribus impendantur usibus. Cum itaque sub sedula perquisitione, Ex exercitacione practica in patria instituta, prope expertus fueris, haud equidem omnibus omnia convenire ægrotis nec in simili morbo simili similia semper juvare; verum tamen clinicam præxim quæ rationalis audire cupit, rationalibus quoque certisque niti debere fundamentis, ex generalioribus theorematibus de promendis, haud ignobile hinc selegisti argumentum inauguralis Dissertationis; quam proxime nunc sub qualisunque meo moderamine publice defendere intendis: Gratulor Tibi Candidate Dignissime! quod felici cursu metam studiorum academicorum attigeris, ut ultimum academicisti studii specimen edere possis. Nil magis optaverim, quam, ut sub Divini Numinis benedictione semper Methodum individualem medendi, cum generali quæ Tibi inculcata est, convenientem atque blanda harmonia conspirantem, in artis medicæ honorem, ægrorum solamen, propriumque comodum experiaris, Ex ab experientia certa opprobria artis, quasi in certa Ex conjecturalis sit, declinare possis. Sis salvus redux, Parenti optimo gaudium senectutis, Patriæ decus ægrorum solamen. Vale! Dabame Musæo D. XXVII. Aug.  
MDCCXXVIII.

